

722 CXC VII. VII. A. 44. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 69. 4. nitide exaratus, olim *Germani Brixii* sive *de Brice Antissiodor.* Canonici *Paris.* perquam eruditi, qui anno 1538. diem clausit, dein *Joh. Sambuci*, complectitur: I. *Librum magni Basilii ad iuvenes et religiosos per Leonardum Aretinum ex greco in latinum traductum*, qui alias *de Liberalibus Studiis et ingenuis Moribus*, item *de Legendis Libris Gentilium* inscribitur, cum Praefatione Interpretis ad *Colutium Salutatum*, de quo Opusculo diximus *Cod.* praeced.

II. *fol.* 18. Ejusdem *Leonardi Bruni Aretini de Temporibus suis Librum*, cujus initium: *Qui per Italiam homines excelluerunt etate mea &c.* et finis: *cum ingenti gloria et exaltatione ciuitatis.* Si *Muratorium* audias, qui Opusculum istud *T. XIX. Scriptt. Rer. Ital. Mediol.* 1731. *col.* 913. f. denuo inseruit, primus illud prelo typographico subiecit *Lugduni* 1539. *Annib. Crucejus*; ve-

rum pace magni Viri, praeter Editionem *Venet.* 1483. 4. e *Bibl. S. Michaelis* prope *Murianum* prolatam a *Mittarellio*, *Venetas* alias 1475. et 1485. 4. et *Florentinam* 1488. 4. indicat *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol. II. P. 4. p.* 2205. qui tamen, nescio quo indice, nixus Opusculum in II. *Libros* dividit, cum et in Editione *Murat.* et in *Cod.* nostro continenter decurrat.

CXC VIII. VII. 2. 19.

Codex membraneus lat. Sec. 257 ut videtur, XI. Folior. nunc 96. f. luculente exaratus continet *Orationes IX. Gregorii* a patria dicti *Nazianzeni*, a *Sasimorum* et *CPoleos* episcopatu ad vitam privatam reversi, mortuique a. 389 — 91. viri elegantis ingenii et splendidae eloquentiae, quas *Rufinus* Presbyter *Aquilejensis* Sec. ut putem, eodem in gratiam *Aproniani* cujusdam latinitate donavit. Initium facit sequens Distichum:

*Suscipe Sancte tui munus benedictae Georgii.
Quod sibi persolvas in celis nunc ubi regnas.*

Georgium hunc Coenobitam *Benedictinum* habeo, qui Patriarchae suo hoc pensum scriptorium obtulit. Sequitur: *In hoc libro continentur libri apologetici* (Primus tantum apologeticus est) *Sancti Gregorii nazanzeni episcopi numero nouem.* Et paullo infra li-

tera unciali purpurea: *Incipit Liber Primus Apologeticus Sancti Gregorii Nazanzeni Episcopi.* Idem repetitur *fol.* verso. Tum Liber, quo causas exponit, cur Presbyter factus in *Pontum* fugerit, et denuo *Nazianzum* redierit, hoc initio: *Victus sum. et fateor.*

fateor me esse superatum &c. Abest igitur a Codice *Praefatio Rufini*, quae habetur in editione Versionis nostrae, *Argentinae* 1508. 4. quacum Codicem contendimus.

Fol. 31. Sermo de Natali Domini absque inscriptione. In edit. inscribitur: *De Theophaniis sive de Natali Domini*. In edit. graecolat. *Jac. Billii Paris.* 1630. f. est *Oratio XXXVIII*. Incipit: *Christus nascitur. gloriamini. Christus e celo. occurrite &c.* Ad calcem: *Explicit Secundus Liber.*

Fol. 40. p. 2. Incipit *Eiusdem Tertius De Luminibus. Quod est Secundis Epiphaniis*. In edit. *Theophaniis pro Epiphaniis*, sed *Billius*, cui est *Oratio XXXIX. των Επιφαιων*. Initium: *Iterum ihesus meus. et iterum misterium &c.* Ad calcem: *Explicit Liber Tertius. De Secundis Epiphaniis*. Secundae dicuntur propter Natalem Domini, qui primis Ecclesiae seculis etiam *Epiphania* audiit.

Fol. 51. p. 2. Incipit *Eiusdem Liber Quartus De Pentecosten Et De Spiritu Sancto*. Inter hanc, quae est *Billio Oratio XLIV.* et praecedentem interjacet in edit. *Fides Gregorii et Nicena*. Incipit: *De sollempnitatibus huius diei pauca dicenda sunt &c.* Ad calcem: *Explicit Liber Quartus*. Edita addunt *Orationem habitam in Ecclesia CPolitana*.

Fol. 60. p. 2. Incipit *Eiusdem Quintus Cum De Agro Venisset*. Initium: *Desiderabam o fi-*

lii. quia et pari mensura desiderabar a uobis &c. Addit titulo *Billius*, cui est *Oratio XXVIII. μετα τα κατα Μαξιμου*. Quae vero *Maximus* hic perpetraverit, habes in *Vita Gregorii* edit. *Bill.* praefixa. Ad calcem: *Explicit Liber Quintus.*

Fol. 70. Incipit *Eiusdem Liber VI. De Jeremie Dictis Praesente Imperatore Apud Quem Intercedit Pro Quodam Periclitante*. Ita et in edit. sed pro *Imperatore* legendum esse *Praefectum Nazianzi* et ipse Contextus suadet, et Titulus apud *Billium*, cui haec est *Oratio XVII*. Initium: *Ventrem meum uentrem meum doleo, et sensus mei turbati sunt &c.* Ad calcem: *Explicit Liber VI.*

Fol. 76. Incipit *Eiusdem Liber VII. De Reconciliatione. Et Unitate Monachorum*. Initium: *Linguam nostram soluit alacritas &c.* *Billio* est *Oratio XII*, quam *Gregorius* praesente Patre suo habuit. Ad calcem: *Explicit Liber VII.*

Fol. 85. Incipit *Eiusdem Liber VIII. De Grandinis Vastatione. Cum Pater Episcopus Reticeret*. Ita et edit. et *Billius*: *εις τον Πατερα σωποντα*. Initium: *Quid laudabilem soluitis ordinem. &c.* *Oratio XV*. Ad calcem: *Explicit Liber VIII.*

Fol. 93. Incipit *Eiusdem Liber VIII. De Arrianis. Vel de His Qui indecenter de Lege Contendunt*. Edit. *Quod non liceat semper et publice de deo contendere*. Rectius *Billius Orat. XXXIII. κατα Ευνομιανων*. *Argentinae*

tinensis enim inscriptio translata videtur ab *Orat. XXVI. Ὅτι ἔ παντος ἀνθρώπου, ἕτε παντος καιρο το περι Θεο διαλεγεσθαι.* Initium: *Ad eos, qui in sermone callent. sermo nobis &c.* Sub finem, ubi *Gregorius* Philosophorum dogmata carpit, *Argent.* legit: *quod ipse dixit, noster* correcte *Αυτοσ εφα.* Pro *Gregoriano μετεσωματωσει*, *Argent. esenorymatos*, noster saltem *μετεσωματωσ.* Et in uniuersum castigatius est exemplar eo, quo *Adolph. Mulingus Argentorati* usus est. Deficiunt tamen in fine 7. circiter lineae ab iis verbis: *disputa de anima.* Codici praenotatum est: *Liber hic mihi Petro Lambecio Hamburgensi S. Caes. Majestatis Consiliario, Historiographo et Bibliothecario*

Aulico donatus fuit a Turcis in Arce Budensi A. 1666. d. 10. Martij. Qua de re et meminit *Comment. L. II. p. 993.* edit. *Kollar. col. 948.* et in epistola ad *Barth. Mollerum* germanica, quae in *Ad. Henr. Lackmanni Miscell. Literar. Hamb. 1721.* a p. 43. legitur. Falsus tamen in eo fuit, quod omnes IX. Sermones *Apologeticos* dixerit, et *Codici* formam 4. adsignaverit. Votum de conferenda versione hac latina cum graecis exemplaribus, quod addidit, impletum video ad calc. T. I. edit. *Billii supracit.* Ceterum, quoties reliquiarum nobilissimae Bibliothecae *Corvinianae* per uniuersam *Europam* distractarum aliquid contemplos, illud *Martialis* subit:

Quid mirum toto si spargitur orbe! Facere

Uno non potuit tanta ruina loco.

CXCIX. VII. E. M.

329 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 176. f. luculente, quamvis non eadem manu per totum, exaratus, et rubricis distinctus continet sequentia: I. *Incipit liber de patriarchis. Continentur autem hic libri de abraham I. De ysaach et anima I. De esau et fuga seculi I. De iacob et uita b. II. De ioseph I. De benedict. (Patriarch.) proph. I. Apolya dauid. De nabuthe. De uerbis salom.* Opuscula haec, ut notum, *Ambrosii* sunt *Mediolan. Episcopi* Sec. IV. conscripta. Primum inquit: *Abraham Libri huius*

titulus est. Quoniam per ordinem &c. Deest *Liber II. sive allegoricus*, nec *Textus* in *Capita* diuisus est, ut in edit. *Opp. Mauriana Paris. 1686.* ad quam *Codicem* exigemus, T. I. col. 281. Lectio sat proba, nisi quod *Graeca* infeliciter corruptit *Librarius*, dumque scribendum esset: *anima nostra diuulgata est, scripsit: dei merces est.* Finis: *et bona senectute compleuit diem.*

Fol. 21. De ysaac et anima. Initium: *In Patre nobis sancti ysaac uel origo sutis expressa est &c.* Libro huic frequentius emendationes et subpletiones adspersae sunt, quam praecedenti. Finis: